

---

# ISIDORUS MERCATOR.

---

## PROLEGOMENA.

---

### HENRICI DENZINGER

IN UNIVERSITATE HERBIPOLENSI THEOLOGIAE PROFESSORIS

### ECLOGE ET EPICRISIS

*Eorum quæ a recentioribus criticis de Pseudoisidorianis Decretalibus statuta sunt.*

---

1. Mira sorte nostris lisee temporibus actum est, ut ii ipsi qui quondam, ut Romanæ sedis prærogativas impeterent, merces Pseudoisidorianas pontificum fraudi tribuebant, modo præ omnibus feliciter atque subtilius genuinum ejusmodi decretalium ortum indigitarent. Verumtamen, ut plurimum eo non sunt progressi, ut Romanos pontifices fraudi jam a multis receptæ non favissè, et Romanæ sedis privilegia exinde plus æquo non profecisse fateantur. Quinimo res satis implexa nequidem catholicis omnibus ita eliquata est, ut aliquam saltem disciplinæ ecclesiasticæ mutationem hisce decretalibus inductam fuisse, non admittant. Hinc nos, ut inveteratis istiusmodi præjudiciis pro posse finem imponamus, edendis Decretalibus præludere statuimus, ea quæ a recentioribus criticis præclare acta sunt, colligentes, ea quæ minus nobis probantur, novo examini subjicientes. Tria igitur erant de quibus nobis inquirendum erit breviter :

- 1<sup>o</sup> Ubi, quando et quo potissimum sine confectæ fuerint Decretales Pseudoisidorianæ ;
- 2<sup>o</sup> Utrum fraudi jam actæ Romani illius temporis pontifices favorint ;
- 3<sup>o</sup> Utrum, si nullatenus in partem fraudis venerint pontifices ; saltem eadem ipsæ Decretales iis quæ de pontificis auctoritate docent novi quidpiam induxerint

#### § I.

2. Multiplices recentiorum de Pseudoisidorianæ collectionis ortu opiniones in tres potissimum classes dividere lubet.

Prima sit eorum, qui pauciores numero et quasi ab omnibus derelicti, Decretales Romæ augendæ pontificiæ potestati confectas autumant. His annumerandus est infausti nominis catholicus Antonius Theiner (1) et H. E. Eichhorn (2). Qui tamen addunt, Decretales Romæ sæculo viii ortas et a Franco quodam clerico sæculo ix mediante, auctas fuisse.

Alii vix non innocuum omnino Pseudoisidorum illum statuunt, inter quos nominandi sunt A. Walter (3) et Rosshirt (4), ille Bonnæ, Heidelbergæ hic professor. Censet Walter auctorem nostrum, quem Benedictum Levitam collectorem Pseudocapitularium fuisse suspicatur, nonnisi collectionem canonum integram Ecclesiæ disciplinam complectentem intendisse et in ea maxime instituisse, quæ tunc temporis magis negligebantur. Idem fere Rosshirt, qui ex codice Bambergensi a se detecto se eruisse putat, Mercatorem nostrum prius confecta ut plurimum apocrypha adhibuisse quæ Græcæ potissimum originis fuisse censet,

(1) Antonii Theiner, quem a fratre Augustino distinguas velim, de Pseudoisidoriana canonum collectione. Vratislaviae, 1827.

(2) Abhandlungen der Berliner Academie. Jahrg. 1834 et in Savigny's Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft, Bd. IX Hest II, p. 419 et seqq.

(3) Walter, Kirchenrecht, 10. Aufl. § 79.

(4) C. T. Rosshirt ; Von den falschen Decretalen, Voranzeige Heidelberg 1847. et : Zu den Kirchenrechtlichen Quellen des ersten Jahrtausends n. Zu den Pseudoisidorischen Decretalen, Heidelberg, 1849.

neque tunc temporis id pro fraude habitum ejusmodi documenta, quæ personis et rebus convenirent, deficientibus genuinis, componere.

His accensendus est et inclytus ille fidei propugnator Moehler (5), qui Decretales fraudem piam fuisse censet in bonum libertatis ecclesiasticæ peractam. Cum enim tristissimis illis temporibus humana divinaque omnia permiscerentur, atque omnis auctoritas viventium contemptui haberetur, produxisse auctorem illum quasi obloquentes venerandæ antiquitatis personas.

Tertiæ classis auctores veram fraudem admittunt, quæ tamen neque Roma processerit, neque Romanorum utilitatem intenderit. Vel enim ut Spittler (6), Plank (7) et Drosle-Hülshoff (8) Decretales adversus potestatem metropolitancam directas dicunt, vel ut Knust (9), qui et ipse Benedictum Levitam Moguntinum auctorem vocat, ad vindicanda jura episcoporum tum adversus laicalia, tum synodalia judicia confictas censent. Quibus accensendi sunt, qui præ cæteris nobis genuinum Decretalium fontem prælucentibus sane aliis indigitasse videntur. A. Wasserscheleben (10) et Gfrörer (11) censent enim Otgarium sive Autgarium archiepiscopum Moguntinum, ad vindicanda sedi Moguntinæ primatialia in Germaniam jura, porro ad tuenda adversus principes et synodos episcoporum jura, post conventum Theonisvillanum anni 855 Decretales congeri curasse. Cui opinioni saltem ut probabiliori accedit vir non sine laude nominandus Carolus Kefele (12), licet pro ea, qua est modestia et judicii moderatione difficultates non dissimulet.

Nos his ducibus tria potissimum ad enodandum istud ænigma statuimus: 1º Decretales neque Romæ, neque sæculo VIII, sed 2º, sæculo IX mediante in Francorum ditone confectas; denique 3º verisimile admodum videri Otgarium Moguntinum archiepiscopum auctorem, uti dicunt moralem Decretalium fuisse.

Qui Pseudoisidorum Romæ sæculo VIII collectum dicunt, eo potissimum argumento nituntur, capitula quæ dicuntur Hadriani I, sive Angilramni Metensis (13) ex Pseudoisidoro excerpta, eadem ipsa autem festantibus pluribus codicibus (14) ab Hadriano I Angilramno Romæ tradita fuisse.

Verumtamen invicte ostendit Wasserscheleben illam codicum inscriptionem præferendam, quæ ab Angilramno pontifici oblata testatur, cum 785 Romæ accusationis amovendæ causa versaretur. Nam in omnibus magis conveniunt disciplinæ, quæ in Francorum regno præsertim quoad synodos provinciales vigeat quam illi, quam tunc temporis pontifices propugnabant; imo nonnulla sunt quæ juribus pontificum minus favere videntur, ut capitula 6, 20, 27, 28. Fontes denique, ex quibus hausta sunt capitula, ii non sunt ex quibus Romanus pontifex hausisset, verbi gratia, synodorum hispanarum et gallicanarum decreta, lex Visigothorum, breviarium Alaricianum. Imo non desunt (15), qui censeant, dicta capitula serioris esse ætatis et ab ipso Mercatore ficta.

Invalidum est igitur argumentum quod ei innitur prætensæ rationi, capitula Angilramni Romæ confecta fuisse; deficit ergo locus. Verum falsum est etiam ex ipso Mercatore excerpta fuisse; ergo deficit et tempus. Nihil in iis est quod scopo et principiis Pseudoisidorianis præsertim circa accusationes episcoporum conveniat. Nam quæ in duobus capitulis ex Isidoro inveniuntur desumpta, in codice uno melioris notæ deesse seriusque interpolata fuisse testatur Wasserscheleben. Imo nonnulla sunt in iis, quæ Isidoro contradicant, ut cap. 6, 12, 27, 28. Manifestum est e contrario Isidorum ex Angilramno hausisse, cum nonnunquam, ubi hic fontes suos accuratius allegaverit, ille vario modo immutatos reddat.

Neque melius Theiner et Eichhorn nonnullas Pseudoisidorianæ collectionis partes, ut epistolas Pseudoclementinas, donationem Constantini, gesta Sylvestri, a testibus sæculi octavi, ut Hadriano I in epistola ad Carolum Magnum directâ, capitulari quodam anni 806, dictis quibusdam Agobardi Lugdunensis et Theodulfi Aurelianensis jam advocatas fuisse. Nam satis constat, ejusmodi documenta jam ante Isidorum ficta fuisse, qui sane non solum decepit, sed et ipse in multis deceptus est.

Alii, quos jam sæculo VIII exstantis Mercatoris documenta volunt esse, juniores Decretalium auctore facile probantur. Huc pertinet Remedii Curiensis collectio canonum, quam jussu Caroli Magni conscripsisse dicitur, cum titulus, cui dicta opinio innitur, plane confictus sit (16). Huc et reponendum est argu-

(5) Fragmente aus und über Pseudoisidor, Tübinger Quartalschrift 1829. Heft 3. u. Jahrg. 1832. Heft 1.

(6) Geschichte des canonischen Rechts.

(7) Geschichte der christlich-Kirchlichen Gesellschafts versassung, Bd. II, p. 800 ff.

(8) Grundsätze des gemeinen Kirchenrechts.

(9) Knust de fontibus et consilio Pseudoisidorianæ collectionis, Göttingæ 1832.

(10) W. Beiträge zur geschichte der falschen Decretalen, Breslau 1844.

(11) Gfrörer, Freiburger theol. Zeitschrift 1847, et: Untersuchung über Alter, Ursprung, Zweck der Decretalen des falschen Isidors, Freiburg 1848, et: Geschichte der ostund Wessfränkischen Caro-

linger, Freit. 1848. I Bd.

(12) Kefele, Tübinger theol. Zeitschrift, Jahrg. 1847. Acft 4.

(13) Vide ap. Mansi t. XII, p. 904 sqq.

(14) Cf. Ballerinius de antiquis collectionibus et collectoribus canonum, part. III, c. 6, § 2, n. 8, ad calcem operum S. Leonis, Patrologiæ tom. LVI, col. 244.

(15) Knust, Walter, Retberg, Kirchengeschichte Deutsch. land's Band I, Anhang et jam ante istos Ballerinii l. c.

(16) Ita Ballerinii l. c. cap. 4, § 4, n. 13, Patrol. t. LVI, col. 249. c. Knust, Wasserscheleben, Richter, Walter, Kunsmann, die Canonensammlung des Remedios von chur, Tübingen 1836.

mentum desumptum ex epistola Gregorii IV ad episcopos Gallicæ et Germaniæ anni 832, si nostra sit, ut Richter censet. Verumtamen ponamus et genuinam esse, tunc plane non liquet, utrum ipsa ex Isidoro, an Isidorus ex ipsa hæuserit.

Magnum denique quiddam se præstare sibi visus est Eichhorn, ut idem evinceret, quod Librum Pontificalem, quo præprimis usus est Mercator, extra Italiam incognitum fuisse, uti putabat detexerit. Quod oppido falsum est, cum et Beda Venerabilis sæculo VIII illo usus fuerit, neque desint ejusdem temporis codices Gallicani. Sed quid tempus iterimus refellendis istorum ratiunculis, cum pontifices duo, annis adhuc 850 et 863, ipsi canonicas auctoritates enumerantes, quibus Romana Ecclesia utatur, non nisi decretalium, quæ in collectione Dionysiana auctiore continentur, mentionem faciunt. Ita Leo IV, epistola 2 ad episcopos Britannicæ (17): « De libellis et commentariis aliorum non convenit aliquem judicare et sanctorum conciliorum canones relinquere vel decretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum illis in canone et quibus in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis, id est, Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensiarum, Antiochensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, Carthaginensium, Africanensium et cum illis regulæ præsulorum Romanorum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Simplicii. Isti omnino sunt, per quos judicant episcopi et per quos episcopi simul et clerici judicantur. Nam si tale emergerit vel contigerit inusitatum negotium, quod minime posset per istos finire, tunc si illorum, quorum meministis, dicta Hieronymi, Augustini, Isidori vel cæterorum similiter sanctorum doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda vel ad apostolicam sedem referatur de talibus.

Nec minus Nicolaus I episcopus ad Hincmarum Rhemensem a. 863 (18): « Præterea quidem et sancimus, ne quilibet . . . impune audeat seu valeat aliena expetere aut expectare judicia aut alienas contra canones ordinationes suscipere vel ad alias provincias irregulariter convolare, sed ita ut Nicænorum et cæterorum conciliorum canonicis definitionibus est promulgatum et beatorum Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Bonifacii, Leonis, Hilarii, Gelasii, Gregorii ac cæterorum Romanæ sedis pontificum constitutionibus est decretum, salvo in omnibus jure apostolicæ sedis. »

Quid igitur longiori examine opus est, cum ipsi pontifices se ab ejus modi fictione alienissimos ostendant, saltem, quod modo nobis sufficiat, ad annum usque 863, quo certe jam undequaque in Galliis sparsæ erant merces Pseudoisidorianæ.

5. Annotis quæ obstabant, ad positiva argumenta procedamus atque quando et ubi confictus fuerit Pseudoisidorus statuamus. Id præprimis certum videtur ex iis, quæ Ballerini (19), Knust, Wassersleben congesserunt, rationibus, in ditone Francorum fraudis canabula esse requirenda. Nam codices omnes et ipse Vaticanus n. 650, qui omnium antiquissimus est, inde originem traxerunt, Decretales a Francis auctoribus primum allegantur, fontes ex quibus hausit Pseudoisidorus, nempe decreta conciliorum Hispaniæ et Galliæ, Breviarium Alaricianum cum interpretatione Aniani, Collectio canonum Quesnelli, epistolæ S. Bonifacii Moguntini ad regnum Carolingorum spectant, Collectio Hispanica, quam suæ fundamentum fecit Pseudoisidorus iis mutationibus affecta apud ipsum apparet, quæ in codicibus originis Gallicanæ reperiuntur (20): sed et loquela Francum prædit: v. g. *missi* dicuntur legati, *seniores* pro dominis feudalibus, *comites* sensu, qui tunc invaluit, leguntur; *venire, habere, modernus, custodire* vocabula ad usum Franco-Germanorum adhibentur.

In statuendo fraudis tempore terminum ad quem indubium habemus in Conventu Carisiacensi anni 857, qui Pseudodecretalibus certissime usus est. Terminum a quo Blondellus et Ballerini, Wassersleben, Gfrörer in synodum Parisiensem anno 829, Walter in epistolam Gregorii IV a. 832, Knust in synodum Aquensem 856, reposuere, eo quod impostor ex ipsis hausisse videatur.

At istiusmodi argumentum non solidum satis videtur. Quæritur enim in ejusmodi casibus, quis ex duobus, quos ita consonare videas, ut ab invicem pendere necesse sit, alterum secutus fuerit, quis præcesserit. Sufficiat igitur præprimis nobis aliquanto ante conventum Carisiacensem tempore, sæculo IX mediante, Pseudoisidorum in lucem erupisse.

4. Ut autem penitus in tenebras, quæ epocham, auctorem, scopum Pseudodecretalium contegunt introspiciamus, oportet, ut ad alium falsatorem ejusdem ævi, qui Pseudoisidoro conjunctissimus videtur, animum advertamus. Benedictus is est, Levita Moguntinus (21), qui ut ipse in sui operis præfatione ait, jubente archiepiscopo suo Otgario, novam collectionem Capitularium, quæ Ansegisii syllogen suppleret, ex schedulis suas Riculphus quondam archiepiscopus congesserat, conficiendam sibi proposuit. Ista vero

(17) Mansi., T. XIV, 884

(18) Mansi, T. XV, 574

(19) L. c., § 4, n. 14. Patrol. t. LIV, col. 250.

(20) Ballerini, ibid. et n. 19, coll. 255. D.

(21) Ejus opus vide in Baluzii Capitular. regum Franc. et apud Pertz Monum. Germaniæ Historica. Tom. IV, pag. 59. App.

prætensa Capitularia merces sunt ad modum Pseudoisidori undique corrasæ. Porro pars circiter vicesima, nempe 57 capitularia, ex Pseudoisidoro desumpta sunt, ita ut negari possit nexum inter utrumque impostorem interesse, ut vix non dicas unum atque eundem esse, qui canones et capitularia supposuit, eademque principia spargenda, eundemque finem legibus tum ecclesiasticis tum civilibus supponendis attingendum sibi proposuisse. Utrumque librum jungit, eidemque auctori tribuit Hincmarus Rhemensis in opusculo contra Hincmarum Laudunensem; c. 24, vocat Pseudoisidorianam syllogen librum collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus in hujusmodi, *sicut et in capitulis regis* obtinuit.

Hoc supposito intra arctiores fines Pseudoisidoriani operis ortum restringere licebit. Nimirum Benedictus ille Levita iterato (22) testatur, se opus suum defuncto Ludovico Pio, regnantibus ejus filiis, quos reges jam vocat, jussu Otgarii archiepiscopi conscripsisse. Atqui Ludovicus 840, Otgarius 847 defunctus est; tempus proinde intermedium epochæ Benedicti Levitæ assignandum erit, proindeque Pseudoisidorus, quo ille utitur, aliquanto tempore præcedit.

5. Verumtamen id minimum erit emolumenti, quod ex Benedicti cum Pseudoisidoro nexu nostræ questioni proficiat. Jam vestigium aliquod auctoris apparet, jamque scopum ipsius ex temporum locorumque circumstantiis eruere, epochamque confecti operis accuratissime determinare licebit.

Duo sunt, qui ad Pseudoisidorianas merces fabricandas concurrere potuerunt: Riculfus, qui schedulas, ex quibus Benedictus, proindeque ejus parens vel frater Pseudoisidorus hauserunt, congegit, et Otgarius, quem Benedictus sibi opus intulisse fatetur.

Riculfum jam Hincmarus senior plerique antiquiores post ipsum auctorem Decretalium suspicati sunt. Scripsit ille in opusculo contra Hincmarum Laudunensem c. 24: « Si vero ideo talia, quæ tibi visa sunt, de præfatis sententiis (Angilramni) ac sæpe memoratis epistolis detruncando et præposterando atque disordinando collegisti, quia forte putasti neminem alium easdem sententias vel ipsas epistolas præter se habere, et idcirco talia libere te existimasti posse colligere; res mira est, cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus in hujusmodi sicut et in capitulis regis studiosus obtinuit et istas regiones ex illo repleri fecit. » Atqui certissimum est Hincmarum hic errasse collectionemque Pseudoisidorianam cum genuina Hispana confudisse.

Nam ex monumentis (23) certum est, Rachionem Argentoratensem episcopum Riculfi suffraganeum a. 788 Isidorianam genuinam canonum collectionem conscribi curasse. Verisimillimum est autographum illud ipsum fuisse, quod Riculfum ex Hispania attulisse Hincmarus contendit. Porro illo tempore, quo Moguntia sedit Riculfus, nempe ab anno 787 ad annum usque 815 non eæ erant temporum circumstantiæ, quas supponit Pseudoisidorus, ut sacerdotes opprimerentur, bona ecclesiastica diriperentur, hisque similia, quæ Carolo Magno regnante non occurrunt. Riculfum Blondellus novi aliquid intulisse colligit ex l. vii Capitular. 281, ubi ille in conventu Wormaciensi Gregorii epistolam attulisse traditur, cujus nulla ante nec post memoria existit. Verum hæc sincera erat epistola Gregorii II ad S. Bonifacium. Ait quidem Benedictus in suorum Capitularium præfatione. « Hæc vero capitula, quæ in subsequentibus tribus libellis coadunare studuimus, in diversis locis et in diversis schedulis, sicut in diversis synodis ac placitis generalibus edita erant, sparsim invenimus et maxime in sanctæ Moguntiacensis metropolis ecclesiæ scrinio a Riculfo ejusdem sanctæ sedis metropolitano recondita et demum ab Autcaro secundo ejus successore atque consanguineo inventa reperimus, quæ in hoc opusculo tenore suprascripto inserere maluimus. » At quis est tam cæcus, ut non videat id ab impostore fictum fuisse, ut suis figmentis auctoritatem conciliaret, cum tam longe lateque notum esset, Riculfum incognitam lucusque illis in regionibus canonum syllogen ex Hispania detulisse. Denique Benedictus ne quidem omnia se ex Riculfi schedulis traxisse contendit, sed ex diversis locis et chartis.

6. Longe aliter res se habet, si ad Otgarii indolem resque ab eo gestas respiciamus. Duo sunt, quæ impostorem intendisse manifestum est: vindicare episcopos a laicalibus (24) et synodalibus (25) judiciis falsisque accusationibus eorumque bona a direptione sæcularium tueri (26), et primates, quos primus ille latius inducendos docet (27), quos judices esse vult, ad quos a judicio metropolitani appellare liceat, effer-

(22) Pertz leg. II, b. p. 59, p. 40.

(23) Grandidier, Histoire de l'Eglise de Strasbourg, t. I, p. 315, et pièces justificat. n. 78.

(24) Pii ep. 1, 2. Pontiani ep. 1. Zephyrini ep. 1.

(25) Damasi ep. 5. Julii ep. 1. Zephyrini ep. 1. Damasi 4. Sixti 2.

(26) Pii ep. 2. Zephyrini ep. 2. cf. Præfationem.

(27) Ep. Aniceti ad episc. Gallia: « Nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi, qui primas te-

nent civitates, quarum episcopos apostoli et successores apostolorum regulariter patriarchas et primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem eorum primatum constitui. Reliqui vero, qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates, sed metropolitani nominentur. » Mansi t. I, 684. — Clem. ep. 1, Julii ep. 2, c. 12. Felicis II ep. 1, c. 12. V. Ægyptiorum ep. ad Felicem II Victoris ep. 1.

re. Alii duos fines, quos prosequi ipsum videas, pontificiam auctoritatem jusque appellationum tueri, metropolitanorum prerogativas deprimere, secundarii plane sunt atque prioribus illis subordinati. Ad pontifices enim recurrit eo, quod episcopos in ipsis validissimum adversus oppressores tutamen habituros confidat. Hinc et causas episcoporum majores atque pontificibus reservatas tam acriter tuetur. Quæ omnia, si Otgarii ævum vitamque conferamus, sicut impressam ceram sigillo respondere videbimus.

Ludovicus Pius cum ex altera uxore Juditha filium Carolum, qui Calvus postea dictus est, genuisset, una cum imperatrice eo tendebat, ut imperii partem secundarum nuptiarum filio compararet. Hinc filii Irmengardis, prioris uxoris, quibus lege a. 817 de successione lata imperium diviserat, armis patrem impetierunt. Ex ipsorum partibus plurimi ex prælatis stabant, ut Wala, Hilduinus, Elizachar, abbates; Ebbo Rhemensis, Agobardus Lugdunensis, Jesse Ambianensis, Otgarius Moguntinus, episcopi. Res eo deductæ sunt, ut imperator pœnitentiam publicam, suadente potissimum Ebbone Rhemensi, agere compulsus fuerit. Imperatore autem misere oppresso, mutati sunt in meliorum sensum subditorum filiorumque Ludovici et Pippini animi, ita ut in regnum restitueretur. Tunc in synodo Theonisvillana a. 835 depositus est Ebbo, postquam se indignum episcopatu scripto fassus fuisset, alii diversis modis pœnas dederunt. Otgarius humiliter veniam petens post brevem carcerem dimissus est. Defuncto Ludovico, nova inter filios discordia exarsit, Lothario eo tendente, ut universum Caroli Magni regnum sibi subjiceret; Ludovico Caroloque partes suas sibi vindicantibus. Qua in rixa Otgarius unitati imperii servandæ jugiter studens, a Lotharii partibus et Nikardo teste (28) omnium infensissimus Ludovici Germanici adversarius fuit, ita ut devicto etiam Lothario cum aliis ejusdem vasallibus ad Rhenum tenderet, quo Ludovicum a trajiciendo flumine impediret. Res autem cum male cederet, a Ludovici ira aufugit. Post pactum Virodunense demum in gratiam Ludovici rediit. Certe anno 845 episcopale munus exercentem et Ludovici favore fruentem videmus.

Quam male tantis in turbis eoque barbariei tempore habitæ fuerint ecclesiæ, earumque bona et ministri vix operæ pretium est, ut ex ejusdem epochæ synodis auctoribusque probemus. Hinc igitur illæ de direptis ecclesiis querelæ. Neque mirum est, Otgarium post synodi Theodonisvillanæ contra se et suos decreta, in synodorum judicia invecum fuisse, tantaque de formis judiciorum in episcopos habendorum congestisse, quæ vel ictum ferendum averterent, vel potius latum injustitiæ arguerent. Aliqua etiam occurrunt in Decretalibus, quæ ut ostendit Acsela (29), perspicue satis Ebbonis confessionem atque depositionem indigere videantur. Hæc enim scribit Pseudoalexander (30): « Similiter si hujusmodi personis quædam scripturæ quoquo modo per metum, fraudem aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut momentum pervenire censemus, neque ullam eis infamiam vel calumniam aut a suis sequestrationem bonis, unquam auctore Deo et sanctis apostolis eorumque successoribus sustinere permittimus. » Imo quædam Decretalibus inesse nobis videntur ex iis, quæ ad primam sedem respiciunt, quod a nemine judicetur, quæ ab illius temporis eventibus pendent. Gregorius nempe IV, ut pacem inter patrem filiosque conciliaret ex Italia accedens, cum a Lothario retentus filiis favere videretur, in eum insurrexerunt Germaniæ præsules, qui ex Ludovici partibus stabant, et eo progressi sunt, ut pontificis excommunicationem molirentur. Jam tunc factum est ut Wala, Corbeiensis abbas, quem supra inter filiorum asseclas nominavimus, pontifici syllogen quamdam auctoritatem a. 835 offerret, quibus pontifici omnem B. Petri auctoritatem excellentem et potestatem vivam inesse, ipsum omnes judicare et a nemine judicari ostenderet. Ejusmodi porro serius et Isidorus noster congressit.

Alter finis, quem Pseudoisidorus sibi proposuit, nec minus Levita Benedictus promovit, is erat, ut dicebamus, ut primatialia pura ecclesiæ Moguntinæ vindicaret, similia illis, quibus metropolita Carthaginiensis in Africa, vicarii pontificii aliis in partibus patriarchatus Romani fruebantur. Quam præclare hæc in Otgarium quadrent videbimus, si a S. Bonifacio usque ad ipsum, quenam hujus dignitatis in sede Moguntina sors fuerit, inquiremus. Sanctissimus ille Germaniæ apostolus a Zacharia papa Moguntinam sedem in metropolim evectam accepit, cui subjicerentur Ecclesiæ Tongrensis, Coloniensis, Wormaciensis, Spirensis, Trajectensis et omnes illi, qui ab eo conversi fuerant, Germaniæ populi, nempe recenter ab eo erectæ sedes Herbipolensis, Buraburgensis, Erfurtensis, Eichstettensis, quibus posterius Augustana, Constantiensis, Curiensis, Argentoratensis accesserunt. Quæ potestas vere primatialis erat, cum omnes integræ nationis ecclesiæ Moguntinæ subjicerentur. Mox tamen, sedente Lullo Bonifacii successore, ab Hadriano I diocesis Trajectensis a metropoli Moguntia divisa est et Coloniensi ecclesiæ subjecta. Imo potestas illa vicarii apostolici et primatis non videtur ad Bonifacii successores transiisse, ut egregie ostendit

Sixti II ep. 4. Felicis I ep. 4. Benedictus Levita I. II. can. 309, 381. III. 1. 83, 89, 156, 171, 314, 321, 439, 460.

(28). Histor. II. 7. Periz II. 659.

(29) L. c., p. 627.

(30) Ep. 4.

Blascus, c. 7 sive de Collectione Isidori Mercatoris dissertationis, (50\*) Moguntia tamen primum locum inter imperii Francorum sedes longo tempore retinuit, ut idem c. 13 ostendit latius. Adeoque facile Bonifacii successor ea ambitio in mentem venit, ut Bonifacii prerogativas in se tum servari, tum restitui postularet. Riculfus, qui Lullum secutus est, Salisburgum et Coloniam in metropoles erigi invitus vidit. Otgario sedente in eo erat, ut pars major suffraganeorum Moguntiae eriperetur, proindeque et diocesis metropolitana minueretur, cum Ludovicus Germanicus partes imperii cisrhenanas ut sibi proprias vindicaret, provinciae vero ecclesiasticae fines regnorum sequi solerent. Hinc factum est, ut Otgarius tantopere unitati imperii studeret, Ludovico Pio adversaretur, cum Alsatiam, Sueviam et partem Burgundiae filio Carolo concederet, Lothario faveret, cum integram Caroli Magni hereditatem appeteret. Quod apprime in Decretalibus expressum reperias. Pelagium II papam sic loquentem inducit atque exponentem, quid sit justa provincia ecclesiastica (51): « De caetero, fratres, super provinciae causa unde sedem apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis sufficienter tractatum a sanctis praedecessoribus nostris. Sed quia denuo nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxistis, scitote, certam provinciam esse, quae habet decem vel undecim civitates et unum regem et totidem minores potestates sub se, et unum episcopum aliosque suffragatores decem vel undecim episcopos iudices, ad quorum iudicium omnes causae episcoporum et reliquorum sacerdotum ac civitatum causae referantur, ut ab his omnibus iuste consona voce discernantur, nisi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his, qui iudicandi sunt, appellatum. Unde non oportet, ut degradetur vel dehonoretur unaquaque provincia, sed apud semetipsam habeat iudices, sacerdotes et episcopos singulos videlicet juxta ordines suos. » Atqui quarto post pacem Virodunensem anno, quae ne provinciae Moguntinae discerneretur, ex Otgarii votis avertit, Rhabanus Maurus ejus successor synodum Moguntiae celebrans, undecim habuit suffraganeos, Salomonem Wormatiensem, Gebhardum Spirensis, Gozaldum Herbipolensem, Otgarium Eichstettensem, Baturatum Paderbornensem, Ebonem Hildesiensem, Haymonem Halberstadiensem, Waltarium Verdensem, Gerbrathum Curiensem, Latonem Augustanum, Salomonem Constantiensem, (52) uno verbo tot episcopos sibi subditos, quos Pseudopelagius provinciam constituere voluit. Nota etiam a Pseudodecretali requiri, ut provincia in unius regis ditione sit. Requirit insuper ut urbes, in quibus primates sessuri sint, jam ante Christi adventum majores atque primariae urbes fuerint (53). Non deerant autem, qui Moguntiae ortum a Magontio, Herculis filio, vel a Magog, filio Japhetis, vel a Magis Treveris expulsis deducerent. Certe a Druso aliquo ante Christum natum tempore civitatis nomine donata est. His addas in epistola Aniceti supra citata primatem non admitti praeter constitutos ab apostolis, nisi populo posterius converso qui tantus sit numero, ut tali capite egeat; habebisque Moguntiam ejusque provinciam quasi depictam.

Neque majori difficultate explicare nobis licebit, cur post pacem Virodunensem Otgarium videamus ab ejusmodi fraudibus abstinere, atque Ludovico Germanico reconciliari atque de Pseudoisidorianis decretalibus silentium tum a Rhabano successore, tum longo post tempore in Germania esse. Id inde deducendum est, quod pace Virodunensi ejusmodi imperii divisio inducta sit, quae Moguntiae provinciae amplitudinem intactam omnino relinqueret. Tunc ipse fraudis inventor proprias merces utpote sibi jam inutilis neglexit.

Haec omnia si complectamur, verisimillimum videtur Otgarium Moguntinum saltem causam moralem Decretalium fuisse. Utrum Benedictus Levita, ut Walter, Knust et alii probabiliter auctorem, ipse Mercator fuerit, necne, id equidem definire nolum, neque puto unquam in dubio detegi posse. Id sane favet suspicioni, quod partes Pseudoisidorianas, quibus utitur, quadam libertate immutando transtulerit, sicut is, qui proprias lucubrationes adhibeat, non ad verbum allegando ut is, qui aliena transcriberet.

Jam vero patet, Decretales et posteriora Benedicti Capitularia non ante conventum Theodoni villanum a. 835 confecta fuisse neque post pacem Virodunensem a 834 esse reponenda. Utrum denique, ut Gfrörer suspicatur postmodum a Wenilone Senonensi, qui et ipse Ecclesiae suae primatum in Gallis affectabat (quod et Ancegisio ejus successor contigit), et a Rothadio Suessionensi aucta fuerint, vix est, ut quis decernat, neque ejusmodi suspicio rationibus, quae prudentem moveant, innititur. Neque iis possumus, his statutis, assentiri, qui innocuum tantopere Mercatorem illum depingunt. Quis enim in animum inducat, hominem, qui ejusmodi mendacium in mundum invexit, adeo columbinæ fuisse simplicitatis, ut mentiendo vix non recte se agere putaret. Pias fraudes nos non novimus, neque piorum unquam fuisse credimus. Multo minus vero dicendum est, ejusmodi falsa tunc non pro fraudibus, sed pro modo quodam propria principia exponendi habita fuisse.

(50\*) Carolus Blascus, de collectione canonum Isidori Mercatoris, commentarius ap. Gallandium de vetustis canonum collectionibus, dissertationum sylloge T. II ed. Moguntinae, 1790.

(51) ep. alias 8.

(52) Harzheim, Conc. Germ. II. a. 152.

(53) ep. 41. Stephani I. c. 4, Anaclet. ep. 2, c. 4.

Locus denique præfationis Pseudoisidori, ex quo cl. Rosshirt (53\*) ostendere nititur, merces istas ex Græcis fontibus haustas fuisse, nihil plane probat. Nam præfationis illius auctor de conciliis loquitur, non de decretalibus. En verba: « Ea vero concilia, quæ Græco sunt edita stylo, amplius quam tripliciter aut quadrupliciter interpretata aut conscripta reperimus. Quod si veritas quærenda, ex pluribus Græcorum sequamur stylum eorumque imitemur dictiones, atque exemplaria, etc. » Quæ vero ex codicibus Bambergensibus attulit monumenta, in quibus Pseudodecretales ante Mercatorem habeantur, post ipsum conscripta fuere, utpote quæ ad ordinationes Formosi referantur. Illud autem opusculum quod ex Bambergensibus codicibus erutum, omnino incognitum fuisse putat, ac Pseudoisidoro priorem, ex quo hausisse Mercatorem supponit, non est nisi liber prior Auxilii de ordinationibus Formosi, qui multo post Mercatorem tempore scripsit. Proinde licet verum sit, Pseudoisidorum multa jam exstantia adhibuisse, non tamen dicendum est eum plurima non proprio Marte conscripsisse.

7. Audiamus modo, quæ a Cl. Hefele per modum dubii, cum ipsi hypothese nostræ faveat, in contrarium opposita sunt (54). Tot partes in Pseudodecretalibus exstare, quæ prætenso auctoris scopo nullatenus userviant; quod metropolitana potestas adeo deprimatur, non quadrare in Otgarium, qui ipse metropolita fuerit, Benedictum Levitam, quem Isidoro conjunctum supponimus, multo minus metropolitæ infensum esse. Mirum videri, si Otgarium decretalium auctorem habeas, ab ejus successore Rhabano eas plane ignorari, imo nullum earum longo post tempore usum factum fuisse in Germania, ita ut in synodo Gerstungensi 1085 episcopi Germaniæ una cum legato apostolico nonnisi cum quodam despectu earum mentionem facerent.

At enimvero quis nescit, ejusmodi falsarios iis, quæ præprimis in hominum mentes inducere intendant, multa admiscere, quæ indifferentia sint et innocua videantur, ne prava intentio perfracte niuis nudeque exposita, statim appareat. Isidorum metropolitas deprimere non est, cur miremur, cum superiorem primatis auctoritatem sibi arroget. Veruntamen nolim dicere Decretales directe metropolitæ adversari, neque synodos, quarum celebrationem inculcat (55); id tantum modo intendit, ne synodorum judicia arbitrario modo habeantur, neque ullum sit ab iniquis sententiis refugium, neque in aliena provincia iudicium exerceatur, quod in Theodonis villa factum fuerat; imo vult causas primo ad metropolitam, deinde ad synodum, postmodum ad primatem, denique ad pontificem deferri, nisi statim ad ipsum appellatum fuerit (56). Benedictum itaque Levitam in metropolitam minus iniquum fuisse, non recte opponas; adde quod eundem cum Isidoro fuisse nullatenus certum sit, proindeque diversitatem aliquantulam admittere absonum non sit, diversam denique fuisse Pseudocapitularium materiam.

Qua de causa ab episcopis Germaniæ et a Rhabano, silentio præterita, imo ab ipso demum Otgario derelicta fuerit congeries Pseudodecretalium, egregie exposuit Gfrörer, neque quidquam illis addendum est, quæ supra ex ipso excerpimus, præter id, episcopos Germaniæ plerosque a parte Ludovici Pii et cognominis postmodum filii stesisse proindeque non tam ad ipsos mitti ab ipsisque recipi potuisse collectionem canonum, quam ad Otgarii sodales in Neustria degentes, apud quos late sparsam postmodum invenias, cum ab auctore a Ludovico in gratiam recepto jam derelingeretur. Falsum etiam est Germaniæ episcopos neque ad annum 1085 et ultra decretales vel neglexisse, vel sprevisse. Nam in synodo Coloniensi a. 887, epistola Anacleti, in Moguntina 888 epistola Urbani, in Triburiensi demum 895 pluribus decretalibus Pseudoisidorianis utuntur: Alia, quæ facile solvuntur, brevitatis causa omittimus.

## § II.

8. Licet modo critici quasi omnes fateantur, Decretales Pseudoisidorianas neque Romæ neque ut Pontificibus inservirent, inventas fuisse, multi tamen Pontifices iis postmodum favisse ipsisque in proprium commodum usos esse contendunt. Wasserscheleben censet Sergium II jam a. 844 Drogonem Metensem episcopum Galliarum primatem sedisque apostolicæ vicarium ad normam juris Pseudoisidoriani creare voluisse. Verum iis in actis nihil occurrit, quod speciali forma Decretalium vestigium præ se ferat, neque ea dignitas, quam Drogoni moliebatur pontifex, novella adeo erat.

Nicolai I epistola ad Gallos in causa Thietgaudi Trevirensis (57), quæ Alexandri I Pseudodecretalem allegat, quamque Hontheim ad annum 861 refert, suspectæ auctoritatis est, eamque Kunstmann (58) Nicolai II esse censet, cum ea, quæ de Trevirensi antistite dicantur, non in Thietgandum, sed in Eberhardum quadrent, qui a Conrado comite Lutzelburgensi captus est. Res confecta est, usque ad annum 863, quo Nicolaus ad Hincmarum Rhemensem scribens, nonnisi Decretales Hadriani collectionis enumerat, ut supra retulimus, Romanos pontifices Pseudoisidoriana plane nescisse. Eodem fere tempore Lupus Ferrariensis

(53\*) L. c. p. 52.

(54) L. c. p. 628.

(55) Anacleti ep. 1. Felicis ep. 1. Julii ep. 2.

(56) Cf. ep. 8 Pelagii I.

(57) Ap. Hontheim, Hist. Trevir. T. I. p. 197.

(58) Neue Sion 1845. N. 54.

abbas eundem pontificem de quadam Pseudoisidoriana Melchiadis decretali consulit his verbis (39) : « Dicitur autem Melchiades papa decrevisse, ne quis unquam pontifex sine consensu papæ Romani deponeretur. Unde supplicamus ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini. »

Pontifex autem ad Wenilonem ejusque coepiscopos, quibus conjunctus Lupus scripserat, respondens, hac de re plane tacet, sane eo quod decretalem non invenerit, vel si mavis responsum ad Lupum datum intercidisse, idem tamen inde sequitur, quod Nicolaus decretali, quæ tantopere pontificiæ auctoritati favebat, ad Wenilonem respondens, uti spreverit.

9. Hinc plurimi censent, eundem Nicolaum tandem a Rothadio Suessionensi, cum Romæ adversus Hincmarum Rhemensem appellatus versaretur Decretalium notitiam accepisse. Ita Gfrörer, Spittler (40).

Quidquid sit, certum est Nicolaum a. 865 ad Gallicanos episcopos hac de Rothadii causa scribentem Hincmarum refellere, quod Decretales pontificum, quæ in codice canonum, hoc est Hadriana collectione non habeantur, hac de causa nullius esse roboris prætendat. Hæc sunt verba (41) : « Quod tamen vos, ut servata vobiscum medullitus charitate dicam, postposuisse dolemus et diversorum sedis apostolicæ præsumpta decreta in hoc vos contempsisse negotio non immerito reprehendimus. Absit enim, ut cujuscunque, usque ad ultimum vitæ suæ diem qui in fide catholica perseveraverit, vel decretalia constituta vel de ecclesiastica disciplina quælibet exposita, debito cultu et cum summa discretionem non amplectamur opuscula, quæ duntaxat et antiquitus sancta Romana Ecclesia conservans nobis quoque custodienda mandavit et pene se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur. . . . Quanquam quidam vestrum scripserint, haud illa decretalia priscorum pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta, cum ipsi, ubi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur et solum nunc ad immutationem potestatis sedis apostolicæ et ad suorum argumentum privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum scripta penes nos habentur, quæ non solum quorumcunque Romanorum pontificum, verum etiam priorum decreta in suis causis præferre noscuntur. »

Neque opus est, ut cum Kunstmanno dicamus, Nicolaum hic loci ad Pseudodecretales minime respicere, quod ex ipso verborum tenore refellitur.

Verumtamen oppido errat, qui inde concludit, Nicolaum Decretales ipsas recepisse, vel illis unquam usum fuisse. Hefele (42) quidem epistolam Nicolai ad Carolum Calvum ejusdem anni (43) allegat, in qua Julii Pseudodecretali utatur. Sed pace egregii viri dictum sit, nullibi in Decretalibus falsis ea invenire potuimus, quæ de Julio refert Nicolaus. Neque verba aliud præ se ferunt, nisi brevem gestorum narrationem, quam ex historia tripartita vel ex genuina Julii ad Orientales epistola desumpsit. En verba : « Sed et papa Julius Orientalibus scribens, utramque partem Athanasii scilicet et adversariorum ejus accelerare præsentiam, quatenus utraque parte præsentem audiretur reus et ab omnibus condemnatus, de cætero colliberetur a sacerdotio. » In altera ejusdem anni epistolâ ad Gallos genuinam Julii decretalem attulit. Nunquam Nicolaus Decretalibus usus est, nunquam aliquam speciali mentione advocat, licet toties occasio occurreret.

Quod ad illam epistolam attinet, ad Hincmarum directam, quæ unica est, in qua pontifex ad Pseudodecretales respiciat, duo sunt, quæ dicenda nobis erunt.

Præprimis notandum est, Nicolaum nonnisi confusam quamdam generalemque Decretalium illarum notitiam præ se ferre, neque unquam eas præ oculis, nisi in aliquot ab Hincmaro citatis locis, habuisse videri. Nam nonnisi una vice generalibus quibusdam verbis de ipsis loquitur.

Alterum, quod maximi momenti habendum, id est, Nicolaum minime de authentia Decretalium agere, sed statutum tantummodo ab Hincmaro principium impugnare, decretales illas, licet genuinæ forent, nullius esse auctoritatis eo quod in Codicem Canonum, collectionem nempe Hadrianam, non fuerint receptæ. Quæstionem de authentia Decretalium inductam omnino reliquit Nicolaus, prudentissime agens, ut dubia neque admitteret inconsideratus, neque præceptis rejiceret. Neque ulla data fuerat, ut ea attingeret, occasio. Nam neque ipse Hincmarus tunc de authentia dubitabat. Cum hæc a. 865 acta sint circa annum 868 ad Carolum Calvum scribens (44) Pseudodecretales Urbani, Lucii atque Stephani adhuc in præsidium vocat. Gfrörer quidem censet (45) Hincmarum non ausum fuisse Decretalium authentiam publice impetere, postquam a Nicolao I defensa fuerat, et saltem ut subsidiarium juris fontem admisisset. Quæ si ita fuissent, certe lacuisset, non vero usus fuisset, uti revera usus est. Id ipsum confirmatur eo Hincmari opere, quod libello ab Hincmaro Laudunensi nepote suo ex Pseudoisidorianis confecto in synodo Altinjacensi a. 870 opposuit. Authentiam Decretalium vel Capitulorum Angilramni, qui Decretalibus juncti fuerant, nullo modo

(39) Mansi T. XV. 597.

(40) Geschichte des canonischen Rechtes p. 256.

(41) Mansi T. XV. 694. 695.

(42) L. c. p. 657.

(43) ep. 40. Mansi T. XV. 658.

(44) ep. 29.

(45) l. c. p. 172. 185.



impugnat: « si vero ideo talia, inquit (46), quæ tibi visa sunt, de præfatis sententiis (Anguram) ac sæpe memoratis epistolis detruncando et præposterando atque disordinando collegisti, quia forte putasti, neminem alium easdem sententias vel ipsas epistolas præ te habere, et idcirco talia libere te existimasti posse colligere, res mira est, cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus in hujusmodi, sicut et in capitulis regis studiosus, obtinuit et istas regiones ex illis repleti fecit. »

Vides, Hincmarum adhuc capitularia pro genuina Isidori collectione habere, idque tantummodo reprehendere, quod male ipsis junior Hincmarus, sicut et Angilramni capitulis usus fuerit.

Ipsæ Decretalibus Clementis, Anacleti, Zephyrini, Stephani aliorumque utitur (47), ut ab episcopis metropolitanis debitam obedientiam præstandam esse, evincat. Quis vero fuerit Hincmari sensus, ex eodem opusculo patet. In eo totus est, ut ostendat eos tantummodo canones sequendos: quos apostolica sedes... et omnis catholica Ecclesia canones appellat, » et qui fecit, « in nostris codicibus, quos ab apostolica sede majores nostri acceperunt sequendos (48). »

Distinguit nimirum Hincmarus (49) inter canones et decretales epistolas eo nisus, quod Gelasius in synodo Romana de libris recipiendis et non recipiendis agens dicat, concilia *recipienda et custodienda*, decretales vero epistolas *venerabiliter recipiendas*. Locum Leonis, quem Nicolaus ad episcopos Galliarum scribens allegaverat (50), ita interpretatur, decreta pontificum in tantum valere, in quantum generalibus Ecclesie statutis consonent, aliud esse leges dare, aliud ad leges jam datas hoc vel illud decernere. Conciliorum placita supremam esse juris ecclesiastici regulam, neque Petri sedem quidquam, quod auctoritati conciliorum repugnet, præcipere posse. Vocat quidem (51) excerptum à nepote ex Pseudoisidorianis libellum « circumpositam omnibus metropolitanis municipulam, » non autem eo, quod ipsas Decretales pro fraude habuerit, sed quod, ut supra vidimus, ita excerpta et collecta sint testimonia, ut multa omittantur, quæ suffraganeis debitam erga metropoli subjectionem inculcent (52), imo in ipsas Decretales invehitur, non vero quod pro authenticis non haberet, sed quod conciliis non consonas putaret, præter quæ pontificibus nihil esse definiendum, autumabat, neque ullam ipsis auctoritatem tribuebat, eo quod in codicem canonum non fuerint receptæ, proindeque nullius adversus jura metropolitanorum synodorumque roboris.

Exinde repetenda est norma, ad quam exigenda est interpretatio illius epistolæ, in qua Nicolaus de Pseudoisidorianis decretalibus loquitur. Cum status controversiæ inter pontificem Hincmarumque nequaquam circa authenticam versaretur, neque authenticam defendisse censendus est Nicolaus.

Anno demum 872 Hincmarus epistolam nomine Caroli Calvi ad Hadrianum II scribens, plenam invectivis et iracundiâ, authenticam Decretalium impetit. Sacras Scripturas, Patrum traditionem, conciliorum definitiones sequendas « quod secus, ait (53), a quodam fuerit compilatum sive confictum, non solum respuendum, sed et redarguendum esse cognoscimus. » Verum hæc septem integris post Nicolai epistolam annis dicta fuisse ne obliviscaris.

Quod ad insequentes Pontifices attinet, vere dicendi sunt Decretales Isidori neglexisse, neque Romæ collectionem integram notam fuisse atque invaluisse nisi sæculo xi mediante, postquam longo temporis tractu omne dubium obmutuisset et communi omnium usu admissæ, atque adæo in collectiones canonum Reginonis, Prumiensis et Burchardi Wormatiensis receptæ fuissent (53<sup>a</sup>). Nicolaus I (53<sup>b</sup>), Joannes VIII (53<sup>c</sup>), imo S. Gregorius VII (53<sup>d</sup>), restituendos clericos fornicarios et homicidas negant contra ea, quæ Pseudoisidorus in epistola Callisti secunda et additamento ad epistolam Gregorii Magni ad Secundinum docet. Joannes diaconus Romanus, qui vitam S. Gregorii scripsit et Joanni VIII dicavit, cum de accusationibus et judiciis ex Gregorii moribus et doctrina tractet (53<sup>e</sup>), nihil habet de iis quæ in Pseudoisidoriana Gregorii epistola ad Felicem Messanensem de hoc argumento proferuntur. Quæ vero alibi (53<sup>f</sup>) adfert de gradibus et impedimentis cognationis illi epistolæ similia, non ex ea, sed ex Egberto hausit. Solos reperimus Hadrianum II et Stephanum V ex pontificibus, qui ante Leonis IX tempora falsas decretales allegant. Ille in epistola (53<sup>g</sup>) ad synodum Duziacensem de causa Actardi Turonensis a. 871 scripta epistolam Anteri papæ invocat. Verumtamen cum nullibi cæteroquin, licet sæpissime data fuerit occasio, Pseudoisidorianum quid alleget, dicendum est, eum integram collectionem non vidisse et locum istum singularem non nisi suggerente Actardo cognov-

(46) c. 24.

(47) C. 11-15.

(48) T. II. p. 545 ed. Sirmondi.

(49) C. 25. 26.

(50) Mansi XV. col. 695.

(51) C. 10. Opp. II. p. 813.

(52) Cf. C. 11-19.

(53) Opp. T. II. p. 701-706.

(53<sup>a</sup>) Cf. Carolum Blascum diff. c. 3. p. 18.(53<sup>b</sup>) Ep. ad Arduicum Vasionensem apud Dacher. Spicileg. T. 12 et ad ep. germ. ap. Marten. vet. script. coll. T. I.(53<sup>c</sup>) Ed. ad Cenomaticum Muticensem can. 4. dist. 50.(53<sup>d</sup>) Ep. ad Lincolnensem episc. l. vii. epist. 34.(53<sup>e</sup>) L. 4. c. 5-6.(53<sup>f</sup>) L. 2. c. 10.(53<sup>g</sup>) Ep. 52. ap. Mansi XV. col. 852.

visse. Adde id integro anno antequam prima vice ab Ilincmaro authentia impeteretur factum fuisse. Alter pontifex, Stephanus nempe V ad Luitpertum Moguntinum episcopum (55<sup>b</sup>) scribens de numero Nicænorum canonum ait ex testimonio Athanasii septuaginta esse, quod in epistola Isidoriana Athanasii ad Marcum papam habetur. Sed cum non laudet neque epistolam Marci ipsius, neque Julii, neque Felicis II, quæ huc etiam faciebant, valet idem quod de Hadriano dicebamus. Neque omittendum est, id in ejusmodi materiis factum ab utroque pontifice, quæ jura primatus minimè attingerent, illamque septuaginta canonum Nicænorum fraudem, licet a Mercatore in Occidentem inducta fuerit, in Oriente tamen longe antea ortum habuisse. Auxilius, qui sæculi x initio pro ordinationibus Formosi libellum scripsit, unicam Anteri epistolam, neglectis quæ sibi magnæ utilitatis potuissent esse, Evaristi secunda, Callisti secunda, Pelagii II prima adducit, videturque proinde ex Hadriani II epistola traxisse, qui eandem in eadem causa translationis episcoporum allegaverat. Vitæ Pontificum, quæ Luitprando Cremonensi, sæculi x auctori, tribuuntur et Pseudoisidorianis late utuntur, non sunt Luitprandi, ut apud omnes constat, sed ad ignotum Germanum quemdam spectant. Imo adhuc a. 1085 Otto cardinalis Ostiensis et legatus pontificius, qui postmodum Urbanus II papa fuit, in synodo Gerstungensi non nisi contemptim de Pseudoisidorianis locutus est, his utens verbis: « Quod illæ scripturarum sententiæ, quarum nos testimonio usi sumus, notæ in Ecclesia reverentiæ semper fuerint, et auctores nequaquam vel obscuri vel incerti hominis sint. »

Vides quomodo per duorum sæculorum tractum vere dicendi sint pontifices collectionem ipsam ignorasse et neglexisse, nec nisi una vel altera vice testimoniis, qualiter ab aliis suggererentur usos, imo ipsam in Italia plane receptam non fuisse. Non nescimus adversarios nostros in id magna vi insistere, non quidem verba Decretalium, principia tamen admisisse pontifices longe lateque jus Isidorianum propagasse. Verum ab ejusmodi criminatione eos vindicabimus, si paucis ostenderimus, auctoritatem pontificiam ex Decretalibus profectum non traxisse, sed longiori jam tractu temporis eas prærogativas pontifices Romanos exercuisse, quas mediante sæculo nono adversus Ilincmarum tuebantur, quæ sane ejusmodi sunt, ut ex ipsa primatus natura necessario fluant.

### § III.

Jam ex ipsis Protestantibus multi (54) non dissentunt, Pseudoisidorianis Decretalibus nihil novi pontificibus profecisse. Manifestum est enim ejusmodi fraudes ab hominibus tam late non admitti, nisi ea contineant, quæ non jam recepta sint a plurimis. Sane si Decretales ea docuissent, quæ tunc temporis plane inaudita fuissent, quæ nullis antiquitatis documentis defendi potuissent, quomodo non omnium oculis fraus manifesta illuxisset? Quidquod jam certum sit, minus in eo falsatorem Pseudoisidorum fuisse, quod nova cuderet, quam quod ex antiquis monumentis nova componeret, et ea quæ vere dicta vel scripta fuerant, alienis auctoribus tribueret. Genuinam Isidori syllogen, quam Riculfus Moguntinus ex Hispania advexerat, veluti fundamentum compilationis suæ posuit, cætera corrasit ex authenticis Decretalibus Pontificum, genuinis conciliorum Actis Patrumque scriptis, ex Capitularibus Francorum, Codice Theodosiano, Breviario Alariciano ejusque commentatoribus, ex regula S. Benedicti Libroque Pontificali, genuinis quibusdam patriarcharum Constantinopoleas, S. Bonifacii ejusque amicorum epistolis, Acta Sylvestri, quibus usus est, falsa quidem sunt, sed tunc jam recepta ab omnibus erant. Quomodo igitur fieri potuit, ut novi adeo essent sensus, cum ne quidem verba nova essent? Non negamus in Pseudoisidoriano jure esse nonnulla, quæ in primæva disciplina non nisi implicite continerentur, nonnulla quorum non nisi rariora exempla primis Ecclesiæ sæculis suppeditarentur. Verumtamen ejusmodi disciplinæ ecclesiasticæ mutationes jam ante decretales confectas pro temporum varietate inductæ fuerant, vel induci incipiebant, neque aliud ille sibi proposuit, qui collectionem congegit, nisi ea tueri atque propugnare multis cum aliis, quæ jam in jus ecclesiasticum admissa et a pontificibus, cum certissime decretales adhuc ignorarent, sancita fuerant, quæ denique recepta fuissent, etiamsi nunquam Pseudoisidorus scripsisset. Quid quod longo temporis tractu nullius plane in Italia atque in Germania auctoritatis fuerit Pseudoisidorus.

Quæ adversus Protestantes Febronianosque generalius dicta sufficiant. Jam satis in hoc sudarunt antiquiores critici, ut Ballerini, Blascus, Zaccaria, ut adversus istiusmodi homines jura primatus ex Pseudodecretalibus impetita defenderent. Nos heic loci ea recantare quæ toties dicta sunt supersedemus; subtilioresque tantum quasdam difficultates, quæ a catholicis etiam nonnunquam moventur, solvendas suscipimus (55).

Concedunt plurimi ex nostri, sicuti concedere debent, appellationes ad Romanum pontificem nunquam non admissas fuisse. Verumtamen id jam Ilincmarus contendebat, pontificem ex antiquioris disciplinæ norma

(55<sup>b</sup>) Ap. Ivonem p. 4. c. 232 et Gratian. can 13. list. 16.

(54) Luden, Allgem. Geschichte Th. II. Bd. II. c. 10. Geschichte des deutschen Volkes Bd. V p. 473.

Leo, Universalgeschichte II Bd. p. 100, Gfrörer, l. c. p. 213. Schönemann ad Böhmer princip. jur. can. ed. VII § 122. not. b.

(55) Cf. Walter, Kirchenrecht § 92.

judices in provincia rei delegare debuissent, neque licitum fuisse dicunt, quod toties (56) decernat Pseudoisidorus ante latam sententiam suspectos judices appellatione facta excludere. Verum prius oppido falsissimum est, cum Sardicensis canon 8 expresse dicat: « Si proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, » neque desint creberrima antiquitatis exempla. Neque minus alterum caput rejiciendum est, cum hujus juris, quod ex ipsa cujuscunque judicii natura sequitur, vestigia jam antiquissimis temporibus, certa exempla jam ante decretales vel confictas vel undequaque sparsas occurrant.

Leo IV a. 850 (57) de judiciis episcoporum agens jam hæc statuerat: « Et si inter eos, quos damnandos esse homines dixerunt, fuerit episcopus, qui suam causam in præsentia Romanæ sedis episcopi petierit audiri, nullus super illum finitivam præsumat dare sententiam, sed omnino audiri eum decernimus, » quod statutum jam ante datam sententiam appellationem, vel causæ devolutionem admittit, ipsamque auditionem, hoc est processum in Romam, si voluerit ille, amandat. Idem Gregorius IV a. 855 in favorem Aldrici Cenomanensis, qui a multis vexabatur, statuerat: (58) « Mandamus, inquit, ut si aliquis, quod non optamus, suorum æmulatorum Aldricum Cenomanicæ ecclesiæ episcopum accusare damnabilièr attentaverit, ut honoretur B. Petri apostolorum principis memoria, Ecclesiæque Romanæ, cui præsedet privilegium et nostri nominis auctoritas, liceat illi post auditionem primatum dioceseos, si necesse fuerit nos appellare et nostra auctoritate aut ante nos, aut ante legatos nostro ex latere missos, juxta Patrum decreta suas exercere atque finire actiones, nullusque illum ante hæc judicet, aut judicare præsumat. Sed si quid, quod absit, grave intolerandumque ei objectum fuerit, nostra erit expectanda censura, ut nihil prius de eo, qui ad sinum sanctæ Ecclesiæ Romæ confugit, ejusque implorat auxilium, decernatur, quam ab ejusdem Ecclesiæ auctoritate fuerit præceptum, quæ sic vices suas aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. » Vides, quomodo Aldrico concedat ut, si velit, sola auditio penes synodum remaneat, sententia sibi reservetur.

Ea nempe fuerat temporum conditio, ut necesse esset causas episcoporum magis atque magis ad sedem apostolicam deferri. Præcesserat tempestas rudis atque barbara, in qua per octoginta annos in Galliis synodi habitæ non fuerant, ut testatur S. Bonifacius (59), qui synodorum celebrationem ex oblivione revocavit. Restituto autem pristino ordine, sæpissime metropolitani suo jure abutebantur, præsertim cum multoties a sæculari potestate penderent vel insontes tueri non valerent. Qua de causa consultum jam non erat episcopos ita quorumcunque arbitrio tradere, ut nullus esset ex angustiis exitus.

Hoc ipso modo velim tibi solvas, quæ aliis difficultatem pariunt, in eo nempe jus novum inductum fuisse, quod Pseudoisidorus causas episcoporum plane omnes, nec solum dubias, ad causas majores pontificibus reservatas amandat, sententiasque in ejusmodi causis a synodis, non nisi concedente pontifice ferri posse (60).

Verumtamen id tunc temporis non solus Isidorus requisivit. Synodus Tricassina sex provinciarum a. 867 habita, cui ipse Hincmarus interfuit, a Nicolao I petiit, ne episcopum absque sedis Romanæ consensu deponi pateretur. Quod sane non deprimendorum metropolitanorum synodorumque causa, sed ad declinandam regum procerumque vim, ut validius in Romano pontifice præsidium haberent, factum esse manifestum est. Appellat quidem ad Decretales; sed ex ipsis Hincmarus qui jam eorum auctoritatem rejecerat, neque ullus ex ejus sodalibus id juris suscepisset, imo postulasset, si ex solis decretalibus id secutum, neque ex tota temporum conditione necessarium visum fuisset. Jam idem Gregorius IV in ea, de qua supra diximus epistola, præstiterat. Nam concessi Aldrico Cenomanensi privilegii rationem inde longa tractatione deducit, quod majores causæ ex Patrum decreto Romanis pontificibus sint reservandæ: « Expectandi atque corrigendi magis sunt rectores Ecclesiæ, quam statim et absque nostro consulto judicandi, cum majora negotia et difficiliore exitus, sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditi et totius mundi reverentia consecrati, jubeant sub nostræ sententiæ expectatione suspendi, nostroque moderamine finire. ... Non novum aliquid præsentis jussione præcipimus, sed illa, quæ olim videntur indulta firmamus, cum nulli dubium sit, quod non solum pontificalis causatio, sed omnis sanctæ religionis relatio, ad sedem apostolicam, quasi ad caput Ecclesiarum debet referri. » Apud Græcos, qui certe Decretalibus illis decipi non potuerunt, jam eadem disciplina invaluerat, ut causæ episcoporum patriarchis reservarentur ut a concilio Constantinopolitano IV anni 869 statutum fuerat (61).

(56) Anitii ep. c. 5. Victoris ep. 1. c. 5. Sixti II ep. 1. Julii ep. 2. c. 3. v. 10. Felic. II ep. 1. c. 19 (in quibus locis Pseudoisidorus conc. Chalced. c. 9. 17 imitatur). Fabiani ep. 3. c. 2. Felic. I ep. 2. Sixti III ep. 3 (quæ ad verbum desumpta sunt ex Interpret. c. 2. 15. C. Th. de appell (41. 30). Eleutherii ep. 1. c. 3. Felic. I ep. 1. c. 8. (ex Interpret. Nov. Martiani l. III T. 7. 1.

(57) Ep. 2.

(58) Ep. 1.

(59) Ep. 49 ad Zachariam.

(60) Eleutherii ep. 1. c. 2. Victoris ep. 1. c. 3. Zephyrii ep. 1. Sixti III ep. 1. Marcelli ep. 1. Julii ep. 1. c. 2. Julii ep. 1. proem. Felicis II ep. c. 17. 18. Dam. ep. 4. c. 2.

(61) C. 26.

Novam denique dicunt regulam, quæ statuit, ut omnes synodi etiam particulares non nisi auctoritate pontificis summi habeantur (62). Atqui hæc ex historia tripartita hausit, quæ e regulam ecclesiasticam jubere ait, non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari (63). Quæ sane Pseudoisidorus ita intellexisse videtur, ut expressam licentiam pontificis exquireret. Verum et hoc tunc temporis jam ante exortas Decretales et requiri et observari cœperat. Sergius II epistola ad episcopos transalpinos, qua a. 844 Drogonem Metensem suum in Gallia et Germania vicarium constituit, hæc ait inter alia: « Huic in congregandis generalibus synodis in omnibus prædictarum regionum partibus nostram commodamus auctoritatem, et quidquid provinciali synodo fuerit definitum, ad ejus absque dilatione statuimus notitiam perducendum. » Leo IV ad Hincmarum scribens (64), concilium Suessionense a se non confirmandum iri declarat, tum ex aliis rationibus, tum e eo quod legati sedis apostolicæ præsentibus ibidem non fuerint, quos in eadem epistola ad sarcinendum defectum delegat, Petrum Spoletinum et cognominem Aretinum episcopum.

Quod et agnatum videmus ex verbis Nicolai I: « (65) Regalis excellentia vestra nuper apostolatu nostro direxit, ut pro perficienda synodo missos e latere nostro dirigere dignaremur. » Idem porro religiose observatum fuerat a S. Bonifacio, qui non solum ad synodos habendas, quibus in Galliis præsedebat, (66) etiam ad eas quas in Germania jam archiepiscopus celebravit, (67) auctoritatem sedis apostolicæ expetiit et impetravit. Quod autem parum hæc in re effecerint, exinde patet quod postmodum id in usum non transierit, ut tanto rigore specialis illa pontificis jussio et auctoritas requireretur (68).

Ad inaudita quæ a Pseudoisidoro inducta fuerint, addidit Theiner illam propositionem, primam sedem a nemine in terris judicari. At doctrinam illam non nisi in actis Sylvestri (69) Pseudoisidorus exposuit, quæ, licet apocrypha, nullo tamen antiquiora sunt. Pluries id etiam in genuinis documentis ante Isidorum dictum reperitur (70). Leonem III accusatum Patres synodi Romanæ paucis ante annis a. 800 a Carolo Magno congregatæ judicare detrectaverunt. Gregorio IV minis episcoporum Germaniæ perterrefacto, Wala, Corbeiensis abbas documentorum syllogen a. 805 obtulit, qua Romanos pontifices a nemine judicari demonstrabat. Hæc eadem doctrina ab ipso sancto Bonifacio, Germaniæ apostolo imbutus fuerat Otgarius vel quicumque Moguntinus Decretales collegit. Ex illius namque dictis traditum est illud de Romano pontifice præsumptum: « Cunctos ipse judicaturus a nemine est judicandus (71). »

Næque primatum dignitatem omnino invenit, quod sane ab omnibus fuisset explosum, cum in vicariis apostolicis ejusmodi aliquid jamdudum inveniatur, propius etiam in primæ Africa, qui et dignitate et nomine idem omnino erat, quod Ecclesiæ Moguntinæ Pseudodecretales vindicandum sibi proposuerant.

Ex quibus omnibus concludamus Pseudoisidorum disciplinæ mutationem non effecisse, sed factam expressisse et propugnasse, incipientemque concomitatum fuisse.

(62) Julii ep. 2, c. 29. Epist. Ægypt. ad Felic. II. Marcelli ep. 1, 2. Damasi ep. 4, c. 2.

(63) L. iv. c. 9, 19.

(64) Mansi t. XIV, col. 886.

(65) Ep. 17 ibid. t. XV. 278, cf. ep. 28, 19, 22.

(66) Ep. 49, 65. Zachariæ ep. 2, 9.

(67) Gregorii III ep. 4, 7.

(68) Cf. Thomassini Vetus et nova Ecclesiæ disci-

plina, t. II, l. III, c. 57, Blascus, de Collectione can. Isidor.

(69) Canon Sylvestri, c. 3, 20.

(70) Gelas. ep. IV ad Faustum, ep. 14 ad Dardan. Synodus Rom. sub Symmacho a. 501. Ennod. libell. apolog. a. 502. Avili Viennen. ep. ad senatum a. 502.

(71) Apud card. Deusdedit, l. 1 De Rebus eccl., c. 251. Nauclerum gen. 26. Gratian., c. 6, diss. 40.

## D. GEORG. PHILLIPS

DE

# COLLECTIONE PSEUDO - ISIDORI DISQUISITIO.

(E Germanico idiomate *Kirchenrecht*, Regensburg 1851, p. 61, in Latinum translata.)

I.

*Collectio describitur.*

Collectionem Hispanam, propter insignem ex ea susceptam utilitatem, necesse fuit extra fines, intra